

lavat manus, reedit ad sedem, et chorus incipit *Alleluia* pro Vesperis, Episcopo sedente.

27. Ad *Magnificat*, Subdiaconus præintonat ei Antiphonam, quam surgens, repetit; deinde sedet cum mitra, et imponit incensum more solito. Cum inchoatur *Magnificat*, Episcopus descendit ad altare, et, deposita mitra, facit cruci reverentiam, osculatur altare, et illud incensat; mox revertitur ad sedem, et incensatur ipse et alii, more consueto: et ipse stans sine mitra, expectat finem cantici *Magnificat*.

28. Cum repetitur Antiphona, sedet, accepta mitra, et ea finita, descendit ad altare, dicit *Dominus vobiscum* et Orationem, et Diaconus *Ite Missa est*, cum duplici *Alleluia*, datur benedictio et publicantur Indulgentiæ, ut alias.

CAPUT XXVIII.

Sabbato sancto, si Episcopus assistat, vel absit, omnia fiunt a celebrante, prout in Missali. Ordo procedendi ad Ecclesiam; et benedicendi ignem atque grana incensi. Celebrans ubi stare debeat, dum Diaconus canit præconium. Quibus paramentis celebrans, Diaconus et Subdiaconus induantur, finito præconio. Prophetiæ ubi, et a quibus cantandæ sint, et quando genuflectendum ad Orationes. Ordo procedendi ad benedictionem Fontis, conficiendi Baptismatis, et redeundi ad altare. Ubi cantari debeant Litanie. Ubi, et quando celebrans capiat paramenta alba cum ministris pro Missa. Quo ritu Missa celebretur, ac cætera perficiantur.

1. Si Episcopus nequiverit celebrare, sed Officio et Missæ, per alium celebratæ, interesse, præparantur omnia, quæ in superiori capite expressa sunt, et, dicta Nona; Canonicus, vel alius, Officium facturus, paratus amictu, alba, cingulo, stola et pluviali violaceo, in sacristia, vel in alio loco decenti et consueto, benedicet novum

ignem et quinque grana incensi, legendo absque cantu Orationes benedictionis, prout in Missali: quo facto, capiet Diaconus stolam, manipulum et dalmaticam albam, Subdiaconus vero manipulum et planetam ante pectus plicatam coloris violacei, et sic parati, sedebunt in aliquo scamno a sinistris altaris, expectantes adventum Episcopi, qui statim, finita prædicta benedictione novi ignis, veniet more solito cum cappa ad Ecclesiam; orabit ante altare majus, et ascendet ad sedem suam cum suis Cappellanis; et orante Episcopo, surget celebrans cum ministris, qui, donec Episcopus orabit, stabunt, et Episcopo sedente, sedebunt.

2. Cum Episcopus aliquantulum in sede sua quieverit, accedet ad eum Acolythus, vel Cæremoniarius cum incenso, et ministrante solito Canonico Presbytero assistente naviculam, imponet et benedicet incensum, more solito.

3. Subdiaconus capiet crucem, et cum Diacono et aliis ministris discedent versus sacristiam ad accipiendum arundinem cum tribus candelis, et quinque grana incensi; et alia omnia fient, quæ superius declarata sunt: celebrante interim sedente in suo scamno, et surgente apud illud, cum opus fuerit, donec inchoetur præconium *Exultet jam, etc.*, quo incepto, accedet ad altare, et ibi stabit, manibus junctis, in cornu Epistolæ, respiciens Diaconum cantantem.

4. Finito præconio, Diaconus revertitur ad altare, et deposita dalmatica et stola alba, capiet violaceam, et planetam ante pectus plicatam, et cum Subdiacono accedet ad celebrantem, qui etiam in suo scamno induet planetam cum manipulo; ministri quoque manipulos habebunt.

5. Item locabitur in medio chori, seu Presbyterii pulpiti nudum, et deducetur a Cæremoniario aliquis Acolythus vel clericus, sive cantor, cotta indutus, ad cantandum primam Prophetiam sine titulo; quam leget etiam celebrans submissa voce apud altare, astantibus ministris, ut fit ad Introitum Missæ; et, ea finita, accedet, qui illam cantavit,

cum debitis reverentiis ad osculandam manum Episcopi; quo facto, celebrans dicit *Oremus*, Diaconus *Flectamus genua*, et Episcopus ac omnes genuflectunt, excepto celebrante, et Subdiaconus *Levate*: et omnes surgunt: tunc celebrans prosequitur Orationem, stans manibus extensis. Cantantur deinde eodem modo aliæ Prophetiæ, quarum primas quatuor cantabunt cantores vel Acolythi, seu clerici, alias quatuor Beneficiati, seu Mansionarii, ultimas quatuor Canonici, vel alias, prout commoditas et numerus clericorum, vel consuetudo Ecclesiæ suadebit.

6. Post quartam, octavam et undecimam Prophetiam, Episcopus leget ex libro Tractum, dum idem cantatur a choro; ministrantibus de libro et candela solitis ministris; celebrans vero apud altare illum leget: Diaconus et Subdiaconus suo tempore ad alias Orationes dicent *Flectamus genua*, et *Levate*, prout in Missali.

7. Finitis Lectionibus, celebrans, deposita planeta, et accepto pluviali violaceo, præcedente cruce, clero et Canonicis, et ante crucem, aliquo Acolytho portante cereum benedictum accensum, medius inter Diaconum et Subdiaconum, et post ipsum sequente Episcopo, ibit ad benedicendum Fontem Baptismalem, choro interim cantante Tractum *Sicut cervus, etc.*, et omnia fient et cantabuntur circa Fontis benedictionem, quæ habentur in Rubricis Missalis.

8. Quibus peractis, si aderunt catechumeni, baptizentur more solito. Interim locatur ante medium altaris faldistorium pro Episcopo, et scabellum pro celebrante ad sinistram partem.

9. Completa benedictione Fontis, et baptizatis catechumenis, si aderunt, ut in *præcedenti Capite* dictum est, redeunt omnes eodem ordine ad altare, et Episcopus genuflectit super dicto faldistorio, capite detecto; celebrans vero, deposito pluviali, ante dictum scabellum a sinistris Episcopi: Diaconus et Subdiaconus in albis post celebrantem, et pariter omnes in suis locis genuflectunt.

10. Duo Capellani, sive cantores, genuflexi ante scabellum post Episcopum, et celebrantem, habentes ante se librum, inchoabunt Litanias, choro idem simul respondente, prout in Missali. Cum perventum fuerit ad Versiculum *Peccatores*, surget celebrans, et ibit ad sacristiam cum suis ministris ad accipiendum paramenta alba pro Missa, nisi sacristia multum distet; quo casu parentur in solito scamno prope altare in cornu Epistolæ, et eodem tempore per alios ministros removeatur ab altari pallium violaceum, et remaneat album, et accendantur candelæ altaris, ita ut hæc omnia fiant, antequam compleantur Litanie: quibus finitis, surgit Episcopus, et removetur faldistorium.

11. Celebrans vero accedit ad ejus sinistram, facit cum Episcopo confessionem, cantatur *Kyrie eleison* et *Gloria in excelsis Deo*, pulsantur campanæ, et perficitur Missa, secundum Rubricas Missalis, prout etiam in *præcedenti Capite* legitur, et cum cæremoniis descriptis in *Cap. ix. hujus Lib. ii.* de Missa solemnè, quæ coram Episcopo celebratur.

12. In Ecclesiis Collegiatis eadem omnia servari debent, quæ in *hoc Capite* expressa sunt, exceptis his, quæ ad Episcopum pertinent, servatis in omnibus Rubricis Missalis; et eadem fere omnia servantur in Sabbato Pentecostes.



CAPUT XXIX.

Episcopus in die Paschæ Resurrectionis solemniter Missam celebrare debet, et sacram Eucharistiam administrare. Ordo dandæ communionis in hac Missa. Diaconus post sumptionem Sanguinis cantet confessionem in cornu Epistolæ. Quo ritu Episcopus Christi Corpus tradat, qui hinc inde assistere debeant. Manus Episcopi ante sumptionem particulæ osculanda. Ordo accedendi ad communionem. Quid observandum, si aliquæ hostiæ consecratæ supersunt.

1. In die Paschæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi Episcopus, nisi aliquo legitimo impedimento fuerit præditus, Missam solemnem omnino celebrare debet, et in ea communio generalis per ipsum Episcopum erit facienda, ordine infrascripto.

2. Nam servatis omnibus, quæ superius in *Capite de Missa solemnè, Episcopo celebrante*, explicata sunt usque ad Offertorium, eo dicto, portatur ad altare per Subdiaconum vas argenteum, vel aureum cum multis particulis, prout populi frequentia requiret, coopertum, quod Diaconus collocat ante crucem; ita ut non impediatur thurificationem altaris; et cum celebrans dicit *Suscipe, sancte Pater, etc.*, discooperit illud, et aliquantulum elevat, ac statim reponit super altare, et cooperit; et iterum, cum celebrans profert verba consecrationis, Diaconus illud detegit, et post consecrationem cooperit.

3. Cum vero Episcopus Sanguinem Domini sumpserit, et mox Diaconum et Subdiaconum communicaverit, qui osculantur primo manum, deinde faciem Episcopi, qui eis dicit *Pax tecum*, et illi respondent *Et cum spiritu tuo*, ac etiam antequam se purificaverit, et digitos abluerit, retrahit se ad cornu Evangelii, versa facie ad cornu Epistolæ, et Subdiaconus stabit post ipsum; Diaconus vero stans in cornu Epistolæ versus celebrantem aliquantulum inclinatus,

ac manibus junctis, cantabit confessionem in tono, et notis consuetis, stantibus Canonicis et clero, exceptis his, qui sunt communicandi, qui genuflectere debent, et tunc per Cæremoniarium vocantur. Episcopus vero celebrans, finita confessione, legit ex libro ante se allato, vel memoriter, voce intelligibili absolutionem, videlicet *Misereatur vestri, etc.* et *Indulgentiam, etc.*, et faciet super populum signum crucis, et statim loca permutat, videlicet, celebrans cum Subdiacono accedunt cum debitis genuflexionibus ante SS. Sacramentum ad cornu Epistolæ, Diaconus vero, relicto dicto cornu Epistolæ, vadit ad cornu Evangelii, et capit cum debitis reverentiis dictum vas, seu pyxidem coopertam, cum hostiis, et eandem discooperit, et Episcopus firmat se in medio altaris, illi renes vertens, ad cujus dexteram stat Diaconus cum particulis consecratis, ad sinistram Subdiaconus cum patena; eodemque tempore vocentur duo Capellani, seu Acolythy, cottis induti, cum mantili albo, quod genuflexi sustinent ante communicandos, hinc inde ambabus manibus, per quatuor angulos, quousque perfecta fuerit communio: qui autem communionem sumpturi sunt, convenienter debent singuli cum debitis reverentiis ante Episcopum accedere, et communionem sumpta, per latus sinistrum celebrantis discedant, et ibi in cornu Epistolæ accipiant purificationem de manu Sacristæ, vel ministri, calicem cum vino, et mappula ad tergendum appensa, ministrantis.

4. Cum autem communio exhibetur Canonicis, vel Magistratui, convenienter debet aliquis Canonicus, vel eorum ultimus, dummodo tamen sit in Sacris constitutus, purificationem præbere, deinde pro reliquis Beneficiatis id munus exequitur aliquis beneficiatus; pro reliquo clero et populo aliquis Capellanus; et ne confusio inter euntes et redeuntes fiat, bonum erit adhibere aliquos de clero, ad id deputatos, ut omnes quiete, devote et ordine suo progredi curent, et per latus sinistrum revertantur.

5. Si aliquis Prælati, non tamen Episcopus consecra-

tus, vellet communicare, debet ante communionem osculari manum Episcopi celebrantis, et sumpta communione, faciem; et idem omnes Canonici parati observabunt: reliqui omnes, tam de clero, quam de populo, et etiam Magistratus osculantur manum Episcopi tantum ante communionem.

6. Ordo autem euntium ad communionem erit idem, qui servatur in distributione candelarum et palmarum, ac incensi, ut suo loco dicitur.

7. Finita communione, reportantur funalia, quæ usque tunc fuerunt accensa, et Diaconus, reposito vase, seu pyxide cum hostiis super altare, si quæ remanserunt, illam cooperit, et consignat alicui Presbytero parato cum stola et cotta, seu pluviali, qui illam sub baldachino, si commode fieri potest, præeuntibus clericis cum intorticiis, et aliquibus de clero comitantibus, portat ad locum, ubi aservatur SS. Sacramentum.

8. Celebrans tunc, sumpta purificatione, lavat digitos, et sumit ablutionem: mox, sumpta mitra, lavat manus, et prosequitur Missam, ut in *precedenti Capite VIII. hujus Lib. II. de Missa solemni*, Episcopo celebrante, explicatum fuit.

CAPUT XXX.

Ordo celebrandi Missam solemnem in die Paschæ, Episcopo absente, in Cathedralibus vel in Collegiatis. Aquæ benedictæ aspersio de more fiat. Celebrans communicet ministros, et cæteros communicare volentes ad Missam. Communio cæteris de Parochia ubi et a quo tradenda.

1. Absente Episcopo in Ecclesiis Cathedralibus, et in Collegiatis, aliquis canonicus, seu Dignitas, vel is, ad quem de consuetudine spectat hac die celebrare in absentia Episcopi, paretur in sacristia more solito cum pluviali albo, et accedat ad altare, medius inter Diaconum et Subdiaconum,

num, paratos omnibus paramentis, ipsis convenientibus: et facta altari reverentia, ac salutatis hinc inde Canonicis, accepto de manu Diaconi aspersorio cum aqua benedicta, dicens *Vidi aquam*, prout in Missali, asperget primo altare, deinde seipsum, mox Diaconum et Subdiaconum, tum alios Canonicos, et omnes de choro, et populum more solito.

2. Quo facto, deposito pluviali, capiet planetam, et facta iterum reverentia altari et Canonicis, inchoabit Missam, quam prosequitur, more solito, secundum Rubricas Missalis.

3. Præparentur cum hostia consecranda particulæ in numero sufficienti, pro communicandis Canonicis et aliis de clero, communicare volentibus, in vase aureo, vel argenteo, saltem intus deaurato, quod collocetur cum calice super altari, prout supra dictum est.

4. Postquam celebrans Sanguinem sumpserit, et antequam se purificaverit, et digitos abluerit, dicta confessione per Diaconum, ut in *Capite precedenti*, communicabit primo Diaconum et Subdiaconum, si non sint Sacerdotes, qui hac die celebrent; deinde singulos Canonicos, Beneficiatos, seu Mansionarios, clericos et cantores non Presbyteros, ac etiam suo loco Officiales, Magistratus, si adsint, et communicare voluerint in hac Missa.

5. Cæteri vero de Parochia utriusque sexus communicari poterunt in alio altari, seu Capella, ad hoc præparata, per Parochum, seu Sacristam, ubi continue, tam ante Missam majorem, quam post, ac etiam dum Missa decantatur, secundum concursum, et frequentiam populi, adsit Curatus Ecclesiæ, vel alius Sacerdos, qui communionem præbeat singulis accedentibus: qui locus, seu Capella non debet esse in conspectu altaris majoris, sed in navi, seu loco separato, ita ut, quoad fieri possit, non videatur ab his, qui Missæ majori intersunt, ne continue genuflectere cogantur, propter reverentiam Sanctissimi Sacramenti.

6. Finita communione, celebrans se purificat, et abluit digitos, et prosequitur Missam, more solito.

CAPUT XXXI.

Quid observandum, si Episcopus in Dominicis per annum celebret, aut Missæ assistat. Paramenta sint coloris, tempori congruentis. Aspersio aquæ benedictæ in Dominicis, quo ritu facienda. Si Episcopus celebret solemniter, hæc aspersio omittitur. Decens est, ut Subdiaconus Epistolæ, et Diaconus Evangelii in hac Missa communicent.

1. In Dominicis per annum, si Episcopus voluerit celebrare, aut Missæ solemniter per alium celebratæ, interesse, serventur omnia circa cæremonias, quæ superius expressa fuerunt in hoc eodem libro *Capite VIII. et IX.*

2. Paramenta tamen altaris, celebrantis et ministrorum sint coloris viridis, exceptis Dominicis Adventus, et a Septuagesima usque ad Pascha exclusive, quia tunc violacea; et tempore Paschali, quia tunc alba; ac infra octavas Festorum solemnium, quia tunc vel alba, vel rubra, prout solemnitates ipsæ requirunt, adhibentur.

3. Quia tamen in omnibus Dominicis per annum solet fieri aspersio aquæ benedictæ per Sacerdotem celebrantem, antequam Missa inchoetur, Canonicus, vel alius celebraturus in Dominicis prædictis, paratus amictu, alba, cingulo, stola et pluviali, medius inter Diaconum et Subdiaconum paratos, accedit ad altare; ante quod in infimo ejus gradu genuflexus, medius inter prædictos duos ministros, accipiet ex manibus Diaconi aspersorium cum aqua benedicta, et intonando Antiphonam *Asperges me*, seu Antiphonam *Vidi aquam*, juxta temporum diversitatem, prout in Missali, ter altare asperget, et statim surgens, dum cantores prosequuntur Antiphonam cum suis Responsoriis, comitatus a Cæremoniaro et Acolyto cum vase aqua benedicta pleno, accedit ad Episcopum, cui aspersorium osculatum cum debita reverentia, et osculo manus, porrigit; ipse vero Epi-

scopus primo seipsum, deinde Sacerdotem celebrantem, postea assistentes et solii ministros asperget, et statim eisdem reddit aspersorium, qui primo manum, deinde illud osculatur, et rediens ad altare, Diaconum et Subdiaconum paratos, deinde Canonicos, Beneficiatos et clericos ex utraque parte chori, omnesque alios in choro permanentes, et populum asperget; et reversus ante infimum gradum altaris, ubi eum Diaconus et Subdiaconus expectabunt, medius inter eos cantabit Versiculos et Orationem, prout in Missali, ex libro, quem sustinebunt dicti ministri, vel super legili ibidem posito; qua finita, statim amovetur legile et liber; et celebrans in solito scamno, posito in cornu Epistolæ, deposito pluviali, capit manipulum, et planetam, et cum Episcopo, qui a sede descendit ante altare, facit confessionem, et omnia fiunt, et servantur, ut in *supradicto Cap. IX. hujus Lib. II.*

4. Si Episcopus celebrare voluerit solemniter, non esset facienda hujusmodi aquæ benedictæ aspersio; absente vero Episcopo, et in Collegiatis, semper Dominicis diebus fit, ut supra dictum est: quo casu celebrans statim atque altare asperserit, seipsum primo, deinde ministros paratos, mox, iisdem ministris comitantibus, et elevantibus fimbrias anteriores pluvialis, Canonicos et alios de choro, ut supra, asperget, qui omnes aspersione hujusmodi durante, a principio usque ad finem stare debent, detecto capite: et dum ante ipsos celebrans cum aspersorio accedit, debent illi caput inclinare, et aspersionem aquæ benedictæ reverenter recipere.

5. Memores etiam sint Diaconus et Subdiaconus, qui altari ministrant, Dominicis diebus, valde decere, si etiam ipsi, postquam celebrans communicaverit, communionem ex ejus manibus sumpserint, prout cavetur in Conc. Trident. *Cap. XIII. Sess. XXIII.*

CAPUT XXXII.

Litanie in festo S. Marci quomodo ordinandæ. Decet, ut Canonici Ecclesiæ Cathedralis paramentis Missalibus induantur, aut saltem eorum aliqui pluvialia capiant. Paramenta omnia sint coloris violacei. Episcopus paretur pluviali violaceo, et assistentes Diaconi dalmaticis item violaceis. Crux Archiepiscopalis quomodo præferenda. Item Imagines et reliquiæ. Locus Prælatorum, Magistratus et nobilium in processione. Quæ Missa dicenda in Ecclesia, ad quam fit processio. Benedictio in fine Missæ per Episcopum danda, et Indulgentia publicanda. Quæ observanda in Litanis Rogationum, et in aliis processionibus.

1. In die sancti Marci fiunt Litanie, quas Majores vocamus. Dicta igitur die congregatur de mandato Episcopi totus clerus sæcularis et regularis, ac etiam, ubi consuetum est, confraternitates laicorum cum eorum insignibus, ante fores Ecclesiæ, unde processio discedere debet, seu etiam intra Ecclesiam, si sit capax; ibique expectant, donec erit tempus: tunc incipiet a deputatis dirigi processio, ordine solito, in qua prius procedent confraternitates laicorum, deinde Religiosi, postmodum clerus Ecclesiæ Collegiatæ, et ultimo clerus Ecclesiæ Cathedralis, cujus Canonici omnes, si commode fieri poterit, erunt parati paramentis sibi competentibus, quemadmodum solent, Episcopo celebrante, vel saltem sex, vel octo eorum erunt cum pluvialibus; paramenta tamen erunt coloris violacei; et ultimo loco procedet Episcopus paratus pluviali similiter violaceo, et mitra simplici, medius inter duos Canonicos Diaconos assistentes, paratos dalmaticis, et manu sinistra baculum pastorem gestabit, dextera vero populo benedicet.

2. Si erit Archiepiscopus, præibit crux Archiepiscopalis ante Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, ut in *Capitibus superioribus* dictum fuit: et si consuetum sit in hujusmodi processione portari aliquas Sanctorum Reliquias, et sacras imagines, servabitur consuetudo: removendi tamen erunt a processionibus ludicri et indecori actus.

3. Hoc ordine ibit processio usque ad Ecclesiam, ad quam juxta consuetudinem civitatis dirigitur, cujus Ecclesiæ clerus, ubi ita consuetum est, procedet obviam, usque extra portam Ecclesiæ, processioni, ibique stans, eam recipiet.

4. Per viam processionis cantentur Litanie, et alia, quæ in libro Ritualis Romani continentur, et nihil ultra; ipsa via prius, de mandato Episcopi, ab omnibus in ea habitantibus mundetur.

5. Prælati, si qui aderunt, de gremio Ecclesiæ, ibunt immediate ante Episcopum; alii vero Prælati, Magistratus et alii nobiles laici post Episcopum.

6. Cum autem Episcopus et processio pervenerit ad dictam Ecclesiam, celebretur ibi Missa solemnibus Rogationum, et non S. Marci, nisi fuerit titulus Ecclesiæ, vel ab Episcopo, vel ab aliquo Canonico coram eo cum solitis cæremoniis, ut supra suis locis dictum fuit: et in fine Episcopus dabit benedictionem solemnem, et facit publicari Indulgentiam. Si autem hæc Missa opportunius in regressu processionis in Cathedrali celebrari judicabitur, tunc in Ecclesia, ad quam processio pervenerit, per Episcopum, vel per celebrantem, cantata per cantores Antiphona de B. V. et de Sancto titulari, subjungentur propriæ Orationes.

7. In processionibus vero, et Litanis minoribus, quæ Rogationes vocantur et fiunt tribus diebus ante Ascensionem Domini, eadem servantur, sed aliquanto remissius: convenit tamen in his Episcopum paratum cum ministris intervenire, vel saltem cum cappa.

8. Ad similitudinem harum processionum regulari poterunt et aliæ processiones extraordinariæ, quæ fieri quandoque contingit ad placandam iram Dei.

9. Si vero celebrandæ erunt processiones ex causa lætitiæ, et pro gratiarum actione, aut etiam pro translatione aliquarum insignium Reliquiarum Sanctorum, ordinari poterunt ad exemplum processionis SS. Sacramenti, de qua in *sequenti Capite* dicitur: lumina tamen, seu funalia accensa deferri magis convenit, cum SS. Sacramentum, vel saltem Reliquiæ in processibus deducuntur.

CAPUT XXXIII.

Pro processione SS. Sacramenti in festo Corporis Christi, quæ præmonenda ab Episcopo circa præcedentias. Viæ et Ecclesia quomodo ornandæ. Ordo processionis. Paramenta Capituli Ecclesiæ Cathedralis in ipsa processione. Funalia a quibus et quo ordine portanda. SS. Sacramentum ab Episcopo quomodo gestandum. Locus et habitus Legati a latere, Cardinalis, Nuntii Apostolici, Metropolitanæ, et aliorum Prælatorum. Nobiles viri etiam hastas baldachini deferant. Præparanda pro ipsa processione. Accessus Episcopi ad Ecclesiam. Agenda post communionem celebrantis. Ordo inchoandæ processionis. Baldachini hastæ per Ecclesiam a Beneficiatis deferantur. Psalmi et Hymni ab Episcopo una cum ministris dicendi. Quid servandum ad altaria per vias erecta. Processio quo ritu perficienda. Benedictio cum SS. Sacramento danda, et Indulgentiæ evulgandæ. Missa privata ab Episcopo hac die dicenda. Ritus exponendi SS. Sacramentum super altari per totam octavam, et processiones faciendi.

1. Ut processio, quæ hac die erit faciendâ, rite et recte, ac secundum debitas cæremonias in honorem tanti Sacramenti fiat; et ad removendas omnes contentiones et lites,

quæ forsitan causa præcedentiæ oriri possent, et in ipso actu maxima cum indecentia et scandalo processionem ipsam turbare, cura erit Episcopi pridie hujus diei, vel etiam per aliquos dies ante, demandare magistris cæremoniarum, vel alteri, ad quem forsitan secundum loci consuetudinem hujusmodi cura spectabit, ut omnia decenter et diligenter præparentur et prævideantur.

2. Nempe, ut viæ, per quas processio transire debet, mundentur et ornentur aulæis, pannis, picturis, floribus, frondibusque virentibus secundum posse et qualitatem loci. Et ipsa Ecclesia similiter perpulchrè ornata sit, prout legitur in *Cap. XII. Lib. I. de ornatu Ecclesiæ.*

3. Item, ut fiat rotulus, in quo describantur per ordinem omnes, tam laicorum confraternitates, Religiosi, et clerus, quam etiam alii quicumque, qui huic processioni interesse consueverunt, vel debent: ut secundum debitum ordinem, et absque aliqua contentione procedatur: apposta etiam aliqua pœna pecuniaria, vel etiam, si Episcopo videbitur, pœna excommunicationis, contra inobedientes, et procedere recusantes, secundum ordinem præscriptum in dicto rotulo.

4. Quod si aliqua præcedentiæ lis inter aliquos Religiosos, confraternitates, seu laicos pendeat, quæ non ita de facili terminari valeat, poterit Episcopus mandare, ut absque præjudicio jurium ambarum partium, vel procedant secundum ordinem in dicto rotulo descriptum, vel omnino ab hujusmodi processione absterneant, donec lis fuerit determinata: et intimentur omnes in rotulo descripti, ut ipsa die festivitatis SS. Corporis Christi, summo mane ad Ecclesiam Cathedralē conveniant, et ibidem, vel in aliquo ejusdem Ecclesiæ atrio, seu platea congregentur: unaquæque religio et confraternitas cum suis insignibus et cruce, ac etiam funalibus, seu candelis in processione deferendis. Omnes enim tam Religiosi, quam laici deberent, si fieri posset, in hac processione, si non funalia, saltem candelas ceræ albæ accensas manibus portare.